

rando adegerat. Jam enim statuerat Philippum filium ex Hispania eam ob causam in Italiam vocare, Helvetiosque ad Mediolani imperium tuendum foederibus obstringere nitebatur.

Id quoque Cæsar is rebus peropportune contigerat, quod pax inter Gallos, atque Anglos inita turbari cooperat, cum unica ex regia sobole Scotorum puella Eduardo Anglorum Regi, uti pactum fuerat, matrimonio jungere regii tutores nolent. Eam sibi injuriam fieri Angli minime passi, bellum Scottis minabantur, qui ad Henrici Galliarum Regis opem confugerant, Reginæ connubium cum dotali Scotiæ jure filiorum uni, cui vellet, polliciti: qua ex re grave bellum inter Anglos, ac Scottos exortum fuerat. Henrico vero, cuius auxiliis præcipue Scotti nitebantur, difficillimo bello implicito, Cæsari majoribus in dies accessionibus fortuna blandiri videbatur, ut cuncti, qui ingenia Principum, ac nullis terminis coercitas illorum cupiditates metirentur, ex ea Cæsar is incredibili felicitate valde sibi pertimescerent; Pontifexque in primis, cui multæ cum Carolo dissidiorum causæ intercedebant: nimia Imperatorum incrementa: Concilium, quod Caroli auctoritate, post decretum de illo Bononiam transferendo, adhuc Tridenti habebatur: domestica familiæ decora: Parmæ, ac Placentiæ imperium filio tributum, necdum a Cæsare confirmatum: quocirca a nullo magis illius fastum, & cupiditatem, quam ab Henrico Galliarum Rege obtundi posse censebat. Ob id Divi Georgii Cardinalem in Galliam profici sci juss erat, specie, ut illius regni antistites mitti a Rege Bononiam peteret; re, ut illum ad Cæsar is vires nimium fese efferentes frangendas incitaret. Quod ut facilius ab eo impetraret, affinitatis juribus arctius sibi obstringendum ratus, ut Horatio Farnesio, Petri Aloysii filio, nepoti, Regis filia notha conjux fieret, obtinuerat, ope, studio, atque auctoritate illi affuturum se pollicitus. Ea juvenile Regis pectus libenter excipiebat, ut regni sui primordia militari gloria illustriora redde ret.

Quapropter ad Italicas res conversus, sui in ea provincia studiosos fovere coepit, benevolentia signa in eos edere, præmiis afficere. Petrum Strozzi um ad divi Michaelis militiam,

quæ

Dissidium  
inter An-  
glos, & Sea-  
tors.

Scoti ad  
Gallia Re-  
gis opem cō-  
fugiunt.

Pau'us P̄o-  
tifex sancti  
Georgii  
Cardinalē  
ad Regem  
Gallia le-  
gatum mit-  
tit.

Henricus  
Gallia Rex  
Horatio  
Farnesio fi-  
liam despon-  
det.